

Ad Pastores. Ode III.
(Odarum sive hymnorum libri duo, 1,3)

Montium custos nemorumque turba, Aevi propages nobilis, Mundi reliquiae beatioris	
(Namque sic Prisci coluere Patres Vatesque, Divum interpretes, Cum Fas atque Fides et alma nondum	5
Castitas, mores hominum impiatos Terris perosae degerent, Aeterni immemores patrisque Olympi.	
Una tunc Divos hominesque fertur Arbor recepsse frondibus, Cum laetis epulas daret labore	10
Terra quaesitas operosa nullo, Cum lacte, cum melligine Faecundi fluerent perenne rivi),	15
Ecquis hic vestras inopinus aures Diverberavit nuncius, Exsultans liquidi per orbis oras,	
Nuncius, pernice vagus chorea, Non absque crebris plausibus? O NOX splendidior meridiana	20
Luce, NOX, horroriferis tenebris Una absque, NOX, faventibus Astris, terrigenis amica, salve!	
Quis tuas sumet memorare laudes, Tuosque honores quis canet? Doctus nectere verba lecta lectis,	25
Tendere aut gressu melior pedestri? Quae tanta totve gaudia Tandem concilias tuo subortu!	30
Tune promissum toties beato Vatum et Ducum collegio, Summi Progeniem parentis offers?	
Docta subiectas variare sedes, Celsis Olympi molibus	35

Et miscere homines choris Deorum?

Nataque vultus placidis severos
Mutare poenas praemiis
Tristium et faciem novare rerum?

Noctium summum decus, o laborum 40
Gratum levamen! Hinc dies
Et noctes melius subire pergent.

Surgite, o cari pecorum Magistri,
Qua cantus et flammae monent 45
Brevem continuo viam vorate!

Visite ad Matrem tenerumque natum,
Non absque sed munusculis!
Pastores vocat ipse nempe pastor

Summus, ad sanctas homines Olympi 50
Ducturus oras, nectaris
Dulcisque ambrosiae favis refertas.

Vestra laus crescet, simul et puelli,
Nullusque delebit dies,
Vestra nomina, nomen et puelli.

Apparatus criticus

9 patrisque *corr. nos* : patrique *ed. 1588*

11 recepse *posuit poeta noster pro* recepisse, *cf. Catull. 44,19, qui posuit* recepso *pro* recepero | frondibus *corr. nos* : frundibus *ed.*

44 flammae *corr. nos* : flamae *ed. 1588*

51 refertas *corr. nos* : referctas *ed. 1588*

Apparatus fontium

1 *Hor. carm. 3,22,1, Montium custos nemorumque, Virgo* [sc. Diana]

39 *Tristium et faciem novare rerum* : *Ps. 103,30 (Vulgata), et renovabis faciem terram*

45 *Viam vorate* : *Catull. 35,7, Quare si sapiet viam vorabit*

48 *ipse nempe pastor* : *cf. e.g. Jn 10,14, Ego sum pastor bonus*